



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Argvmentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.



PINIONVM varietas Romæ de Sessione sexta iam habita. Contentiones inter Tridentinos Patres, admittendum necne, ut Episcopi in quibusdam causis agerent tamquam à Sede Apostolica delegati. Declaratio superioris Decreti de moribus reformati, ab omnibus approbati. Pontificium Diploma, quo Episcopi Cardinales & à suis Sedibus abesse cœtiti, & pluribus Ecclesiis præesse. Indignatio Cæsaris in Pontificem, quod is fœdus renouare noluerit. Regis Anglia mors. Canones confecti, in Sessione septima promulgandi de Sacramentis vniuersè, ac de duobus prioribus speciatim. Historice de Canonum sensu animaduersiones; & eorum que Suavis opponit, examen; ac de iis etiam, que ibi disputat de plurium Sacerdotiorum in eodem Clerico coniunctione, ac de commendatitiis Sacerdotiis, quas Commendas appellant. Morum emendationes à Synodo constitute; & quanta ipsius fuerit in eo libertas. Sessio septima celebrata. Colomensis Septemuir Archiepiscopatu priuatius. Epidemius Tridenti morbus; adeoque multorum Patrum inde discessus. Sessio octava, in qua actum ac decretum, plurimis Patrum suffragantibus, de transferendo Bononiam Concilio. Hispanorum repugnantia, qui ceteris abeuntibus Tridenti persistunt,

Pars II.

A

stunt,

2 HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI Lib. 9. Cap. 1.

stunt, atque ab Oratore Toletano iubentur ibi permanere. Pontificis Aulaeque Romane sensa de his euentis. Querelæ Cæsaris cum Pontifice, ac postulationes, vti Synodus Tridentum reducetur. Repulsa per grauem indignationem ab eo accepta. Francisci Primi Gallæ Regis obitus. Legati ad ambos Principes missi. Sessio nona Bononiae habita, vbi Decretorum promulgatio ad alteram Sessionem prorogata, certo die indictam.

C A P V T P R I M V M.

Variæ Romæ de habita Sessione sententie; & quæ Tridenti agitata ad disciplinæ Decretum continuandum & promulgandum.

1547.



E G A T I S non minus erat Romæ quam Tridenti certaminis. Eorum constantia in proposito promulgandi Decreti de Iustificatione, Romæ pluribus haud probata, seu ex benevolentia, adeoque sollicitis; seu ex æmulatione, adeoque censoribus; seu ex incerta humanorum consiliorum conditione, quæ dissidium opinionum permittit vel inter sapientes ac probos. Maffei presertim à Verallo Nuntio admonitus^a per eos dies, Ceruinum dehortatus fuerat ab eo consilio, tamquam ab importuno, aptoque ab alienandæ à Concilio ac Pontifice Cæsaris voluntatis, tunc & recente armorum prosperitate potentioris, adeoque & sensu acrioris, & magis verendi, corruptâ per illum modicæ gratificationis neglectum gratiâ, copiosis in fœdus sumptibus coëmptâ.

Alij in Romano Conuentu operam mentemque Ceruini commendabant, sed^b modum duritiemque agendi reprehendebant. Erat inter hos Franciscus Cardinalis Sfondratus, Ceruino vel ingenio vel animo aduersus: Legatum tamen acriter tuebatur Moronus^c, quicum is coniunctissime necessitudinis vinculo adstrictus erat iam tum, cum in Belgio alter apud Cæsarem ac Ferdinandum Regem Nuntius aderat, alter iam Purpuratus Farnesij Cardinalis comes aduenerat, cui postmodum in legatione suffectus. Nec segnius eidem Polus patrocinabatur, qui Patavio-Romam regressus, sui olim collegæ virtutem & sapientiam per omnem opportunitatem extollebat. Ac Pontifex quidem factum comprobauit;^d tum quod prius illud mandato comprobauerat; tum quod comprobatum tunc cernebat ab ipso euentu, qui oppugnationum contentio-

^a Ex litteris
7. Ianuar.
^b 1547.

^b Litteræ se-
cretiores
Româ ad
Ceruimum
missæ 7. Ian.
1547.
^c Colligitur
ex plurimis
euismodi
litteris.
^d Litteræ
Maffei ad
Ceruimum
23. Ianur.
1547. &
duæ litteræ
secretiores
19. & 24.